Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1075
Quelle:
Copyright:

ris. 1690. T. II. p. 525. directa ad *Guilelmum* Abb. *S. Theodorici* cum *Praefatiuncula*, quam *Codex* ignorat.

II. *fol.* 12. p. 2. *Incipit tractatus eiusdem de conscientia.* Initium: *Conscientia in qua anima perpetuo est mensura* (mansura) *edificanda est* &c. *Bernardi* non est, vix etiam *Hugonis a S. Victore*, in cujus Operibus tertium *de Anima* Librum constituit. Legitur tamen inter Subposita *Opp. Bernardi* T. V. p. 335. et quidem cum *Prooemio* et multo plenior, quam hic in *Codice.*

III. *fol.* 23. p. 2. *Incipit tractatus eiusdem de apertione cordis.* Initium: *De apertione cordis tractare intendimus. Est enim cor tamquam liber* &c. Non invenio in *Opp. Bernardi*; esse tamen Coenobitae cujusdam forsitan ipsi coaevi vel e sequenti Abbatum censura credibile fit: *Plerique abbates in cameris extra carcerem claustri de bonis ipsorum claustralium delicate uiuunt. ipsos in claustrali carcere cum pisa* (piso) *et olere relinquentes plus in salmone quam in salomone legentes. Vnde licet omnes dicant se esse fratres, non tamen omnes scutelle sunt sorores, nec isti unquam carcerem claustri intrant, nisi certis diebus ad intrandum capitulum, ad proprietarios excommunicandos, et precepta cum imperio rubentibus buccis facienda.*

IV. *fol.* 28. *Incipit tractatus eiusdem de confessione.* Initium: *Corde creditur ad iusticiam ore autem fit confessio ad salutem — Tria proponuntur. et corde credere ad iusticiam et ore confiteri* &c. Excerptum est e *Sermone Nicolai Claraevallensis in Festo S. Andreae*, qui legitur T. V. *Opp. Bernardi cit.* p. 713.

V. *fol.* 31. *Incipit tractatus eiusdem de fuga pueri et reductione eius.* Initium: *Rex potens et diues deus omnipotens filium sibi fecit hominem* &c. Est Prima *Parabolarum* vulgo *Bernardo* adscriptarum T. *Opp.* III. p. 1245. ubi insignitur: *De Pugna spirituali.*

VI. *fol.* 33. p. 2. *Incipit prologus beati bernardi abbatis ad* (Henricum) *episcopum senonen.* Initium: *Domino venerabili N. senonencium archiepiscopo* &c. Initium Tractatus: *Igitur ex quo regni celorum claues deo auctore* &c. Extat *Opp.* T. II. p. 461. inscriptus: *De Moribus et Officio Episcoporum*, a nobis indicatus *Cod.* etiam seq.

Inerant praeterea olim isti, ut *Nota* praefixa docet, *Vita s. Guiberti conf. et Revelationes eiusdem. Vita s. Maclovi siue Machutis ep. et conf. Vita s. Germani parisien. ep. Vita et passio s. Bonifacii ep. magunt. Vita et passio s. Conrardi ep. treueror.*

CCXC. VII D 13.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 348. f. eleganter scriptus et coloribus decoratus hanc praefert ἐπιγραφήν: *Hic Liber datus est ad librariam collegij ducalis ex opposito fratrum* 251

pre-